ARRIANUS

QUATENUS XENOPHONTIS IMITATOR SIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ROSTOCHIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS RENZ

PARCHIMENSIS.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXIX.

RICCARDO FOERSTER

SACRUM.

In scriptoribus posterioribus interpretandis summa industria investigandum est, qui sint argumenti fontes, quae dictionis exempla. Ex tali quaestione duo commoda oriuntur: alterum ea re continetur, ut intelligatur, quanta sit praestantia aut tarditas ingenii auctoris uniuscuiusque: alterum positum est in cognoscenda auctoritate, qua classici qui dicuntur scriptores posteriore aetate florebant.

Ut ex rerum scriptoribus, qui secundo saeculo post Christum natum erant, unum eligam, Arrianus dignus mihi videtur, cuius et argumenti tractatio et elocutio in quaestionem vocetur. Structuras eum, vocabula, locutiones, enuntiata Thucydidis in suum rivulum duxisse demonstravit Meyer[1]; cuius sententiae etsi in universum assentior, tamen nonnulla detrahenda esse infra ostendam[2]. Neque solum ex Thucydide, verum etiam ex Herodoto noster magnum fructum cepisse mihi videtur: quam disquisitionem missam facio, quippe quam ab alio viro docto institutam esse noverim. Sed in duobus illis historicis imitandis non acquiescens Arrianus etiam Xenophontis vestigia pressit. Cuius ad dictionem quantopere sese applicaverit, Photius perspexisse sibi visus est, cum dicit in bibl. cod. 58. *ἰσχνὸς δὲ τὴν φράσιν ἐστὶ καὶ μιμητὴς ὡς ἀληθῶς Ξενοφῶντος.* Haec opinio apud doctos viros semper multum valuit. Recentiore autem aetate Sintenis, vir literarum graecarum peritissimus, eam reiiciendam esse putavit. Legimus enim in praefatione eius Arriani editionis pag. XVI et XVII: „Arrian heisst der zweite Xenophon: dieser, wie oben er-

[1]) De Arriano Thucydidio diss. Rostochii 1877.

[2]) Cf. corollarium.

örtert, wohl berechtigte Name scheint zu unrichtigen Ansichten schon früh die Veranlassung gegeben zu haben. Bereits Photius (cod. 58.) sagt: „Seine Schreibart ist schlicht, und er unverkennbar ein Nachahmer des Xenophon.“ Ich kann das nicht zugeben, muss vielmehr wiederholen, dass jener Name auf Gleichheit der Neigungen und Beschäftigungen und Uebereinstimmung in den Gegenständen ihrer schriftstellerischen Thätigkeit zu beziehen sei, zu denen als drittes Moment die Aehnlichkeit des Verhältnisses kommt, in denen Beide zu ihren Lehrern, Xenophon zu Socrates, Arrian zu Epictet, standen. Auf Aehnlichkeit der Gedanken in ähnlicher Fassung und Nachbildung des Ausdrucks kann die Benennung nicht bezogen werden, vielmehr sind die wenigen nachweislichen Fälle eben nur als einzelne Reminiscenzen zu betrachten, wie sie bei späteren Schriftstellern ohne Ausnahme vorkommen.“

His verbis Sintenis vera et falsa miscuit. Neque enim dubium est, quin summa similitudo studiorum inter Xenophontem et Arrianum intercedat: uterque fuit rei militaris peritus, venationis studiosus, philosophia imbutus. Quod quum ex universis Arriani libris tum ex cynegetico (1, 4) apparet. *ὁμώνυμός τε*, inquit, *ὢν αὐτῷ* (Xenophonti) *καὶ πόλεως τῆς αὐτῆς καὶ ἀμφὶ ταὐτὰ ἀπὸ νέου ἐσπουδακώς, κυνηγέσια καὶ στρατηγίαν καὶ σοφίαν.* Arrianum autem ex Xenophonte etiam sententias et vocabula hausisse affirmans arbitror non solum similibus studiis, verum etiam similitudine quadam sententiarum et verborum factum esse, ut noster alter Xenophon nominaretur. Duo enim Arriani scripta extant eodem fere modo inscripta atque duo Xenophontis, dico Anabasin et Cynegeticum. Altera Xenophontis Anabasi expeditio Cyri adumbratur, altera Arriani expeditio Alexandri Magni. In historia enarranda noster, qui in universum se sequi testatur Ptolomaeum Lagi et Aristobulum, quorum uterque Alexandro duce militavit, saepenumero narrationi suae sententias Xenophontis admiscet, neque raro eae vocabulis illius

ornatae sunt. Idem in Cynegetico spectat Xenophontis Cynegeticum, in Periplo maxime eius Anabasin, quum quas urbes in ora Ponti Euxini sitas describere sibi ipse proposuerat, earum nonnullas Xenophon commemorasset. Sed hoc tum demum accuratius constituetur, quum quaestio ad finem perducta erit. Itaque rem ipsam aggrediamur et exemplis demonstremus, quas argumenti sententias, quatenus vocabula, locutiones, structuras denique hic ex illo deprompserit.

A. De sententiis e Xenophonte delibatis.

Ut ab argumenti tractatione initium faciam, nullum certius testimonium imitationis afferre possum, quam quod Arrianus ipse diserte Xenophonte nominato se ex illo hausisse testatur. Exempla autem talia sunt, ut enuntiata aut propter sensum solum aut propter sensum verbaque simillima sint. Primum investigemus ea, quae sensui soli locorum Xenophontis respondent.

Exercitus Xenophonte duce quum Heracleam petisset, seditione exorta trifariam scissus est. Pars una eaque maxima fuit Arcadum et Achivorum, qui sibi decem praetores elegerunt; altera Cheirisophi, Xenophontis tertia. Arcades, qui ex vicinis Thracum Bithynorum agris praedam fecerunt, de salute periclitabantur. Haec omnia Xenophon narrat in anab. 6. 2 — 3, cuius loci Arrianus summam facit in peripl. 13. 6 *μέχρι τοῦδε Θρᾷκες οἱ Βιθυνοὶ νέμονται· ὧν καὶ Ξενοφῶν ἐν τῇ συγγραφῇ μνήμην ἐποιήσατο, ὅτι μαχιμώτατοι εἶεν τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, καὶ τὰ πολλὰ κακὰ ἡ στρατιὰ τῶν Ἑλλήνων ὅτι ἐν τῇδε τῇ χώρᾳ ἔπαθεν, ἐπειδὴ ἀπεχωρίσθησαν οἱ Ἀρκάδες ἀπό τε τῆς Χειρισόφου καὶ τῆς Ξενοφῶντος μερίδος.*

Arrianus exponit in anab. 2. 9. 11 Darium in ordinem milites instruxisse, ita ut ille medio in exercitu locum teneret. Quibus verbis quum adiungit *καὶ τὸν νοῦν τῆς τάξεως ταύτης Ξενοφῶν ὁ τοῦ Γρύλλου ἀναγέγραφεν*, Xenophontis anab. 1. 8. 21 recordatur.

De Drilis, gente bellicosissima, uterque idem refert. Xenophon in anab. 5. 2. 2 *εἰς τοὺς Δρίλας προθύμως ἦγον* (sc. Trapezuntii), *ὑφ᾽ ὧν κακῶς ἔπασχον, εἰς χωρία τε ὀρεινὰ καὶ δύσβατα καὶ ἀνθρώπους πολεμικωτάτους τῶν ἐν τῷ Πόντῳ.* Arrianus nomine illius allato loquitur de Drilis, quos ipse Sannos esse arbitratur, peripl. 11. 1 *καὶ γὰρ μαχιμώτατοί εἰσιν εἰς τοῦτο ἔτι τοῖς Τραπεζουντίοις ἐχθρότατοι, καὶ χωρία ὀχυρὰ οἰκοῦσιν, καὶ ἔθνος ἀβασίλευτον.*

Quomodo asini feri in Arabia capiantur, Xenophon exponit in anab. 1. 5. 2. Cuius descriptionis meminit Arrianus cyneg. 24. 2. *λέγει Ξενοφῶν, οὗ τὰ πεδία τὰ Ἀραβίων ἐξήνυον, ἀγέλας προφαίνεσθαι τῶν ὄνων τῶν ἀγρίων, καὶ ὑπὸ ἑνὸς μὲν ἱππέως μήποτε ἁλῶναι ὄνον ἄγριον, διισταμένους δὲ ἄλλους ἐπ᾽ ἄλλους ἐλαύνειν.*

Arriani locum, qui est de urbe Salmydesso, ad Xenophontem (anab. 7. 5. 12., 13.) respicere apparet ex verbis, quibus noster utitur peripl. 25. 1—2 *ἀπὸ δὲ Θυνιάδος εἰς Σαλμυδησσὸν στάδιοι διακόσιοι. τούτου τοῦ χωρίου μνήμην πεποίηται Ξενοφῶν ὁ πρεσβύτερος, καὶ μέχρι τούτου λέγει τὴν στρατιὰν ἐλθεῖν τῶν Ἑλλήνων, ἧς αὐτὸς ἡγήσατο, ὅτε τὰ τελευταῖα σὺν Σεύθῃ τῷ Θρᾳκὶ ἐστράτευσεν καὶ περὶ τῆς ἀλιμενότητος τοῦ χωρίου πολλὰ ἀνέγραψεν, ὅτι ἐνταῦθα ἐκπίπτει τὰ πλοῖα χειμῶνι βιαζόμενα, καὶ οἱ Θρᾷκες οἱ πρόσχωροι ὅτι ὑπὲρ τῶν ναυαγίων ἐν σφίσιν διαμάχονται.*

Iam transeamus ad alteram seriem exemplorum, quibus demonstratur Arrianum non solum sententias Xenophontis, quem nominat, in suum usum transtulisse, verum etiam iis vocabula Xenophontea admiscuisse.

In Calpae portu Graeci sacra facturi bovem sub iugo emiserunt, quod aliae victimae non suppetebant. Ita refert Xenoph. anab. 6. 4. 22 *καὶ πρόβατα μὲν οὐκέτι ἦν, βοῦν δὲ ὑφ᾽ ἁμάξης πριάμενοι ἐθύοντο.* Hanc narrationem commemorat Arrianus in peripl. 2. 3 *ἐβουθύτησα ἐνταῦθα, οὐχ ὥςπερ ὁ Ξενοφῶν ἐκεῖνος ἐν Κάλπης λιμένι ὑφ᾽ ἁμάξης βοῦν λαβὼν δι᾽ ἀπορίαν τῶν ἱερείων.*

In periplo Ponti Euxini describendo Arrianum saepius secutum esse exemplum propositum iam supra dictum est. Testimonia huius opinionis antea allata ut augeamus aliis, nunc perscrutemur, quid Xenophon de Trapezunte, Calpa, Harmena, Sinopa, Cotyoris literis mandarit et quatenus descriptionum verbis usus sit Arrianus.

Xenoph. anab. 4. 8. 22 *ἦλθον ἐπὶ θάλατταν εἰς Τραπεζοῦντα πόλιν Ἑλληνίδα οἰκουμένην ἐν τῷ Εὐξείνῳ Πόντῳ Σινωπέων ἀποικίαν.* Huic loco respondet Arr. peripl. 1. 1 *εἰς Τραπεζοῦντα ἥκομεν, πόλιν Ἑλληνίδα, ὡς λέγει ὁ Ξενοφῶν ἐκεῖνος, ἐπὶ θαλάττῃ ᾠκισμένην, Σινωπέων ἀποικίαν.*

De Calpae portu Xen. anab. 6. 4. 4 *λιμὴν δὲ ὑπ᾽ αὐτῇ τῇ πέτρᾳ τὸ πρὸς ἑσπέραν αἰγιαλὸν ἔχων, κρήνη δὲ ἡδέος ὕδατος καὶ ἄφθονος ῥέουσα ἐπ᾽ αὐτῇ θαλάττῃ ὑπὸ τῇ ἐπικρατείᾳ τοῦ χωρίου, ξύλα δὲ πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα, πάνυ δὲ πολλὰ καὶ καλὰ ναυπηγήσιμα ἐπ᾽ αὐτῇ τῇ θαλάττῃ.* Comparandus est locus Arr. peripl. 12. 5 *ὁ δὲ Κάλπης λιμὴν ὁποῖόν τι χωρίον ἐστίν, καὶ ὁποῖος ὅρμος, καὶ ὅτι πηγὴ ἐν αὐτῷ ψυχροῦ καὶ καθαροῦ ὕδατος, καὶ ὅτι ὗλαι πρὸς τῇ θαλάττῃ ξύλων ναυπηγησίμων, καὶ αὗται ἔνθηροι, ταῦτα Ξενοφῶντι τῷ πρεσβυτέρῳ λέλεκται.*

Xenophon anab. 6. 1. 15 Harmenam breviter verbis attingens addit, ubi sita sit Sinopa, unde orta, *ἀφικνοῦνται εἰς Σινώπην καὶ ὡρμίσαντο εἰς Ἁρμήνην τῆς Σινώπης· Σινωπεῖς δὲ οἰκοῦσι μὲν ἐν τῇ Παφλαγονικῇ, Μιλησίων δὲ ἄποικοί εἰσιν.* Arrianus in peripl. 14. 5 Xenophontem Harmenam commemosasse dicit, sed quae de Sinopa narrat, ex eodem scriptore se expilasse dissimulat *ἀπὸ δὲ λεπτῆς ἄκρας εἰς Ἁρμένην ἑξήκοντα. λιμὴν αὐτόθι. καὶ Ξενοφῶν τῆς Ἁρμένης ἐμνημόνευσεν. καὶ ἔνθεν εἰς Σινώπην στάδιοι τεσσαράκοντα. Σινωπεῖς Μιλησίων ἄποικοι.*

Cotyora coloniam Sinopae esse perhibet Xen. anab. 5. 5. 3 *ἀφίκοντο εἰς Κοτύωρα, πόλιν Ἑλληνίδα, Σινωπέων ἀποίκους.* Huius enuntiati reminiscitur Arrianus in peripl. 16. 3 *ἐνθένδε εἰς Κοτύωρα ἐνενήκοντα · ταύτης*

ὡς πόλεως Ξενοφῶν ἐμνημόνευσεν, καὶ λέγει Σινωπέων ἄποικον εἶναι.

Arrianus in tact. 6. 3 explicat, quanta pars lochi enomotia sit, id prorsus enucleari non posse ex Xenophontis verbis, quae ipse affert δηλοῖ (Xen.) ἐν ᾧ λέγει, ὅτι οἱ λοχαγοὶ κατ' ἐνωμοτίας ἕκαστος ἐποιήσαντο τὸν αὑτοῦ λόχον. Hoc ex Xen. anab. 4. 3. 26 sumptum est, ubi legitur: καὶ παρήγγειλε τοῖς λοχαγοῖς κατ' ἐνωμοτίας ποιήσασθαι ἕκαστον τὸν ἑαυτοῦ λόχον.

Arr. tact. 29. 8 πλινθίον — ὅπερ Ξενοφῶν ὁ τοῦ Γρύλλου πλαίσιον ἰσόπλευρον καλεῖ referendum esse videtur ad Xen. anab. 3. 4. 19 πλαίσιον ἰσόπλευρον. —

Nunc afferam sententias similibus aut fere iisdem verbis ex Xenophonte non nominato depromptas.

Cyrus per Babyloniam aliquantum progressus quum regem non multum abesse arbitraretur, milites convocavit, instruxit magnaque praemia promisit se iis daturum, si fortiter pugnassent ὑμῶν δὲ ἀνδρῶν ὄντων καὶ εὐτόλμων γενομένων ἐγὼ ὑμῶν τὸν μὲν οἴκαδε βουλόμενον τοῖς οἴκοι ζηλωτὸν ποιήσω ἀπελθεῖν (Xen. anab. 1. 7. 4.) Sensus et verborum imitatio extat in Arr. anab. 5. 26. 8, ubi Alexander milites, qui itineribus confecti et molestiis vexati in patriam redituri erant, erigere et praemiis promittendis commovere studet, ut dicto audientes progrederentur. Verba scriptoris haec sunt: τοὺς δὲ αὐτοῦ μένοντας ζηλωτοὺς τοῖς ἀπερχομένοις ποιήσω.

Milites Cyri magna viae difficultate usque ad Euphratem flumen profecti pabuli inopia premebantur. Qui ut commeatum comportarent ex urbe Charmanda, Euphratem transirent necesse erat. Transitum fluminis Xenophon anab. 1. 5. 10 hoc modo describit: διφθέρας ἃς εἶχον σκεπάσματα ἐπίμπλασαν χόρτου κούφου, εἶτα συνῆγον καὶ συνέσπων, ὡς μὴ ἅπτεσθαι τῆς καρφῆς τὸ ὕδωρ. Si quis cum hoc loco Arr. anab. 3. 29. 4 comparaverit, hunc secutum esse Xenophontem non negabit. Is enim Alexandri exercitum Oxum flumen eodem modo transe-

untem facit fere iisdem verbis usus. ξυναγαγὼν οὖν, inquit, τὰς διφθέρας ὑφ᾽ αἷς ἐσκήνουν οἱ στρατιῶται φορυτοῦ ἐμπλῆσαι ἐκέλευσεν ὡς ξηροτάτου καὶ καταδῆσαί τε καὶ ξυρράψαι ἀκριβῶς, τοῦ μὴ ἐνδύεσθαι ἐς αὐτὰς τοῦ ὕδατος.

Xenophon anab. 4. 5 memoriae tradidit Cyri exercitum frigore, nive, rerum inopia in summum discrimen vocatum pervenisse in vicos ibique magna praeda facta laute vixisse. In describenda praeda et alias res commemorat et πώλους εἰς δασμὸν βασιλεῖ τρεφομένους (4. 5. 24). Ut tales pulli sibi dentur, Alexander postulat ab Aspendiis pacem rogantibus. Ita legimus in Arr. anab. 1. 26. 3 καὶ τοὺς ἵππους οὓς δασμὸν βασιλεῖ ἔτρεφον.

Quantum studium exercitus per Taochos profectus in castello expugnando consumpsisset, Xenophon descripsit anab. 4. 7. 12 πάντες γὰρ οὗτοι ἀντεποιοῦντο ἀρετῆς καὶ διηγωνίζοντο πρὸς ἀλλήλους. καὶ οὕτως ἐρίζοντες αἱροῦσι τὸ χωρίον. Nec multo aliter Arrianus anab. 2. 27. 6 dicit de militibus Alexandri, qui Gazam urbem expugnabant ἔρις πολλὴ ἦν τῶν Μακεδόνων ὅσοι τι ἀρετῆς μετεποιοῦντο, ὅςτις πρῶτος αἱρήσει τὸ τεῖχος.

De Mediae muro Xenophon loquitur anab. 2. 4. 12 ἦν δὲ ᾠκοδομημένον πλίνθοις ὀπταῖς ἐν ἀσφάλτῳ κειμέναις. Hunc locum quin Arrianus memoria tenuerit, nemini dubium esse potest, qui cum verbis allatis confert Arr. anab. 7. 17. 1, ubi de templo Beli media in urbe Babyloniorum sito agitur: ἐκ πλίνθου ὀπτῆς ἐν ἀσφάλτῳ ἡρμοσμένης.

Quum Graeci suis rebus diffidentes in summo maerore versarentur, Xenophon duces superstites oratione adhortatus est, ut bono animo essent neve quid praetermitterent, quod ad pericula propulsanda et ad ipsorum salutem pertineret. Duces in anab. 3. 1. 37 ita alloquitur: ὑμεῖς γάρ ἐστε στρατηγοί, ὑμεῖς ταξίαρχοι καὶ λοχαγοί. Arriani verba, quae sunt anab. 7. 9. 8 ὑμεῖς σατράπαι, ὑμεῖς στρατηγοί, ὑμεῖς ταξίαρχοι ex Xenophonte excerpta esse liquet.

Alexandrum in Scythas impetum facere sacra vetuerunt. Neque tamen ulla re Aristander vates commotus est, ut aliter vaticinaretur atque exta indicarent: quod traditum est in Arr. anab. 4. 4. 3 *Ἀρίστανδρος δὲ οὐκ ἔφη παρὰ τὰ ἐκ τοῦ θείου σημαινόμενα ἄλλα ἀποδείξασθαι.* In his verbis pleonasmus quidam est, quia vocabulum *ἄλλα* sensu integro deleri potest. Fluxisse tamen structuram ex Xen. cyrop. 1. 6. 2 patefit. (Similia extant Xen. hell. 1. 5. 5). Ibi enim Cambyses dicit se Cyrum vaticiniis instituisse, ne ille vatum verbis fideret, qui saepe aliter sentirent, aliter dicerent *ἕτερα λέγοντες παρὰ τὰ παρὰ τῶν θεῶν σημαινόμενα.* Ita scribendum esse censeo et reiiciendam lectionem Schneideri Saxonis, quam alii viri docti secuti sunt, *ἕτερα λέγοντες ἢ τὰ παρὰ τῶν θεῶν σημαινόμενα.* Ad meam sententiam confirmandam duas habeo causas. Altera ea re continetur, quod in multis codicibus iisque optimis *ἤ* omittitur (in Guelferbytano *ἤ* supra scriptum est); altera in ea re posita est, quod Arrianus apud Xenophontem *ἤ* non legisse videtur.

In anab. 3. 4. 18 Xenophon exponit milites, quum in vicum quendam pervenissent, expulisse hostes: *ἀπῆλθον οἱ βάρβαροι μεῖον ἔχοντες ἐν τῇ τότε ἀκροβολίσει.* Arriani verba in anab. 3. 23. 5 *καὶ μεῖον ἔχοντες τῷ ἀκροβολισμῷ ἀπηλλάγησαν* illi Xenophontis loco deberi veri simillimum est.

Quanto in maerore Graeci torperent ut Xenophon in anab. 3. 1. 2 demonstraret, pericula imminentia depinxit. Inter haec sunt *ποταμοί*, de quibus *διεῖργον*, inquit, *ἀδιάβατοι ἐν μέσῳ τῆς οἴκαδε ὁδοῦ.* Ex hoc loco orta est imitatio Arriani in anab. 6. 12. 2 *ποταμῶν τε ἐν μέσῳ ἀδιαβάτων τότε γε ἐδόκουν εἶναι* [1]).

[1]) Pro his verbis Krueger loco Xenophonteo nisus scribit: *ποταμῶν δὲ ἐν μέσῳ ἀδιαβάτων τῆς οἴκαδε ὁδοῦ διειργόντων.* Sed hanc lectionem ut iusto audaciorem repudiandam esse arbitror.

Militum motum a Clearcho et Cyro callida oratione sedatum esse Xenophon anab. 1. 3 perhibet. In oratione habita extant verba: ἢ πείσαντα ἡμᾶς ἄγειν, ἢ πεισθέντα πρὸς φιλίαν προσιέναι (1. 3. 19). In earum rerum difficultate Alexander duces allocutus simili enuntiato utitur. Nam in Arr. anab. 5. 23. 3 legimus: ἢ πείσας ἄγειν τοῦ πρόσω ἢ πεισθεὶς ὀπίσω ἀποστρέφεσθαι.

Quamquam iam satis elucet Arrianum multas sententias ex Xenophonte deprompsisse, tamen non omittam talia, quae sensu solo cum locis Xenophontis congruere mihi videntur, quod his ea corroborantur, quibus noster Xenophontis imitator demonstratur.

Arrianus in anab. 1. 9. 13 cladem Thebanam cum Atticis et Laconicis aliisque Graecorum cladibus in comparationem vocat. Confert miseriam Thebanorum cum rebus adversis, quas Athenienses Aegospotamis perpessi sunt. Quid inde acciderit, scriptor eodem modo tradit ac Xenophon hell. 2. 2. 19 et 20, ita ut omnia haud dubie ex illo sumpserit. Narrat enim Arrianus Atheniensibus pugna illa miserrima commissa imperium esse abrogatum, longos muros dirutos, naves plerasque traditas Lacedaemoniis victoribus. Muros deletos postea restitutos esse adiungit Arrianus fortasse respiciens ad Xen. hell. 4. 8. 9, 12., ubi accuratius exponitur, quando et a quibus hoc factum sit. Componit fortunam Thebanam etiam cum clade Lacedaemoniorum Leuctrica, quam illi praeter omnium opinionem acceperunt. Plures ibi a paucioribus superati et qui tum fere invicti videbantur victi sunt. Neque id praetermittit Arrianus commemorare paucos Lacedaemoniorum in illa memorabili pugna cecidisse. Similia refert Xenophon hell. 6. 4. 1 ss., quo loco numerum Lacedaemoniorum, qui interierunt, ad mille homines revocat, Spartanorum circiter ad quadringentos.

Magnis laudibus Arrianus anab. 1. 12 Alexandrum celebrans profitetur eos, qui cum Cyro expeditionem fecissent, maiorem gloriam nactos esse Alexandro, quum Xenophontem rerum suarum praeconem invenissent.

ὁπότε, inquit, *καὶ ἡ τῶν μυρίων σὺν Κύρῳ ἄνοδος ἐπὶ βασιλέα Ἀρταξέρξην καὶ τὰ Κλεάρχου τε καὶ τῶν ἅμα αὐτῷ ἁλόντων παθήματα καὶ ἡ κατάβασις ἐκείνων, ἣν Ξενοφῶν αὐτοὺς κατήγαγε, πολύ τι ἐπιφανέστερα ἐς ἀνθρώπους Ξενοφῶντος ἕνεκά ἐστιν ἢ Ἀλέξανδρός τε καὶ τὰ Ἀλεξάνδρου ἔργα.* Quae Clearchi fortuna fuerit, Xenophon anab. 2. 5. 31 memoriae prodidit. Clearchus enim et nonnulli praetores lochagique non vi aperta vel proelio, sed amicitia simulata comprehensi, ad regem deducti, trucidati sunt.

Alexander proelium cum Dario initurus meminit Xenophontis exercitus, quocum suos milites comparat. Nam nullos arbitrabatur ille in Arr. anab. 2. 7. 8 equites decem milibus Graecorum in patriam redituris fuisse, quales in Macedonum exercitu essent; nec funditoribus et sagittariis Xenophontem prius usum esse, quam perspexisset discrimine summo edoctus exercitum sine iis nihil valere. Consilio ipsius lectos esse equites et funditores Mithridate subinde lacessente Xenophon narrat anab. 3. 3. 20 *σφενδονῆται μὲν εἰς διακοσίους ἐγένοντο, ἵπποι δὲ καὶ ἱππεῖς ἐδοκιμάσθησαν τῇ ὑστεραίᾳ εἰς πεντήκοντα.*

De Persis veteribus Arrianus anab. 5. 4. 5 haec verba facit: *Πέρσαι τότε πένητές τε ἦσαν καὶ χώρας τραχείας οἰκήτορες, καὶ νόμιμά σφισιν ἦν οἷα ἐγγύτατα εἶναι τῇ Λακωνικῇ παιδεύσει.* Persas priscos pauperes fuisse et regionem asperam incoluisse Xenophon cyrop. 7. 5. 67 literis mandavit, ex quo loco sententia Arrianea petita esse videtur. Ibi enim legimus: *εἰδὼς οὖν Πέρσας τοὺς οἴκοι κακοβιωτάτους μὲν ὄντας διὰ πενίαν, ἐπιπονώτερα δὲ ζῶντας διὰ τὴν τῆς χώρας τραχύτητα.* Institutionem iuventutis Persicae similem fuisse Spartanae sequitur ex Xen. cyrop. 1. 2. 3 ss.

Arrianus traditionem Ptolomaei verisimilem existimat, qua Pori filius perhibetur Alexandro Hydaspem transituro obviam factus esse non paucis, sed permultis equitibus et curribus usus. Neque enim Porum putat tam imprudentem fuisse, ut nesciret contra magnum exercitum in proelium

ducendos esse multos milites, paucos autem esse mittendos explorandi causa, ne se recipientes sua ipsorum multitudine interirent. Hanc sententiam Arrianus anab. 5. 14. 5 pronuntians nescio an memor fuerit loci Xenophontis, qui est hell. 6. 5. 52 *ἰδεῖν μὲν οὐδὲν ἧττον ὀλίγοι τῶν πολλῶν ἱκανοί. καὶ εἰ δέοι ἀποχωρεῖν, πολὺ ῥᾷον τοῖς ὀλίγοις ἢ τοῖς πολλοῖς καὶ ὁδοῦ εὐπόρου τυχεῖν καὶ καθ' ἡσυχίαν ἀποχωρῆσαι. τὸ δὲ πολλούς τε προςάγειν καὶ ἥττονας τῶν πολεμίων πῶς οὐ πολλὴ ἀφροσύνη;*

Insignia, quae rex Persarum gestat, nominat Arrianus anab. 3. 25. 3 *τήν τε τιάραν ὀρθὴν ἔχειν καὶ τὴν Περσικὴν στολὴν φοροῦντα.* quibuscum conferenda sunt quae dicit Xen. cyrop. 8. 3. 13 *ὀρθὴν ἔχων τὴν τιάραν καὶ χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον.*

In Arr. anab. 4. 11. 9 legimus: *εἰ δὲ ὑπὲρ Κύρου τοῦ Καμβύσου λέγεται πρῶτον προςκυνηθῆναι ἀνθρώπων Κῦρον* —. His verbis ille indicare mihi videtur se rationem habere Xen. cyrop. 8. 3. 14, ubi perhibetur hoc factum esse, quum Cyri pompa esset primum e regia prodeuntis ad loca sacra. *πρόσθεν δέ,* ait, *Περσῶν οὐδεὶς Κῦρον προςεκύνει.*

Quisquis ad has res ex Xenophonte excerptas animum attenderit, Arrianum intelliget maxime in Anabasi et Periplo illius Anabasin ante oculos habuisse et imitatum esse; nunc brevi comprehendam, quantopere Arrianus Cynegeticum Xenophontis in libello cognomini suum fecerit. Quascunque res Xenophon composuit, earum Arrianus in prooemio Cynegetici summam faciens profitetur se id adiungere velle, quod ab illo neglectum sit. Concedendum est Arrianum aliquid novi addere, tamen saepissime ad ea recurrit, quae Xenophon protulit, sive cum eo consentit sive ei repugnat. Consideremus, si placet, eos locos, ubi de canibus venaticis sermo est. De virtutibus earum in habitu et forma expressis loquitur Xen. cyneg. 4. 1 *χρὴ εἶναι μεγάλας. εἶτα ἐχούσας τὰς κεφαλὰς ἐλαφράς, σιμάς, ἀρθώδεις, ἰνώδη τὰ κάτωθεν τῶν μετώπων.*

Item Arr. cyneg. 4. 4 commendat *κεφαλὰς ἐλαφρὰς καὶ ἀρθώδεις* addens *εἰ δὲ γρυπαὶ ἢ σιμαὶ εἶεν, οὐ παρὰ μέγα διοίσει τοῦτο. οὐδ᾽ εἰ τὰ ὑπὸ τοῖς μετώποις ἰνώδη ἔχοιεν, οὐδὲ τοῦτο ἐν μεγάλῳ ποιητέον.*

Xenophon laudat collum longum cyneg. 4. 1 *τραχήλους μακρούς, ὑγρούς, περιφερεῖς.* Nec aliter Arr. cyneg. 5. 8 *τράχηλος δὲ μακρός τε ἔστω καὶ περιφερὴς καὶ ὑγρός.* Ut brevi dicam, Xenophontis tota paragraphus prima capitis quarti exscripta et iisdem fere verbis reddita est ab Arriano in cyneg. 5. 8 et 9.

Item in canum crinibus describendis Arrianus cyneg 6 1 *καὶ ἡ θρὶξ-λεπτὴ ἔστω καὶ πυκνὴ καὶ μαλθακή* expilavit Xen cyneg. 4. 6 *εὔτριχες δέ, ἐὰν ἔχωσι λεπτὴν καὶ πυκνὴν καὶ μαλακὴν τὴν τρίχα.*

De colore loquitur Xen. cyneg. 4. 7 *τὰ δὲ χρώματα οὐ χρὴ εἶναι τῶν κυνῶν οὔτε πυῤῥὰ οὔτε μέλανα οὔτε λευκὰ παντελῶς.* Arrianus cum illo non sentit in cyneg. 6. 1, ubi singula fere verba repetit.

Xenophon cyneg. 7. 1 verba faciens de catulis procreandis arbitratur imprimis quattuordecim esse dies, quibus canes impetu Veneris teneantur: *ἐν αἷς ἀνάγκη αὕτη ἔχει.* Eadem locutione utitur Arrianus cyneg. 31. 3 *ἐπειδὰν τῇ ἀνάγκῃ ταύτῃ ἔχωνται.*

Quomodo catuli educandi sint, Xenophon praecepta dat cyneg. 7. 3. 4 *ἐπειδὰν δὲ γένηται τὰ σκυλάκια, ὑπὸ τῇ τεκούσῃ ἐᾶν καὶ μὴ ὑποβάλλειν ὑφ᾽ ἑτέραν κύνα. αἱ γὰρ θεραπεῖαι αἱ ἀλλότριαι οὐκ εἰσὶν αὔξιμοι. τὸ δὲ τῶν μητέρων καὶ τὸ γάλα ἀγαθὸν καὶ τὸ πνεῦμα καὶ αἱ περιβολαὶ φίλαι. ἐπειδὰν δὲ ἤδη πλανᾶται τὰ σκυλάκια, διδόναι γάλα μέχρι ἐνιαυτοῦ καὶ οἷς μέλλει τὸν ἅπαντα χρόνον βιώσεσθαι, ἄλλο δὲ μηδέν. αἱ γὰρ βαρεῖαι πλησμοναὶ τῶν σκυλακίων διαστρέφουσι σκέλη, σώμασι νόσους ἐμποιοῦσι, καὶ τὰ ἐντὸς ἄδικα γίγνεται.* Haec fere omnia Arrianus in suum Cynegeticum transtulit: *εἰ δὲ μηκέτι ἐς δρόμον ἐπιτηδείως ἔχουσα φαίνοιτο ἡ κύων, κράτιστον ἐᾶν ὑπὸ τῇ τεκούσῃ καὶ μὴ ὑποβάλλειν*

ὑφ' ἑτέραν κύνα. αἱ γὰρ θεραπεῖαι αἱ ἀλλότριαι, ἧπερ καὶ Ξενοφῶν ἐκεῖνος ἀποφαίνει, οὐκ εἰσὶν αὔξιμοι, τὸ δὲ τῶν μητέρων καὶ τὸ γάλα ἀγαθὸν καὶ τὸ πνεῦμα. ὁπόταν δὲ ἤδη πλανᾶται τὰ σκυλάκια, ὀρθῶς ξυμβουλεύει, ὅτι χρὴ γάλακτι ἀνατρέφειν αὐτά, καὶ ὅτι αἱ βαρεῖαι πλησμοναὶ τά τε σκέλη αὐτοῖς διαστρέφουσιν καὶ τοῖς σώμασι νόσους ἐμβάλλουσιν (30. 2 usque ad 31. 1).

Ab utroque eadem ratione praecipitur, qualia nomina canibus imponenda sint. Xen. cyneg. 7. 5 τὰ δὲ ὀνόματα αὐταῖς τίθεσθαι βραχέα, ἵνα εὐανάκλητα ᾖ. Arr. cyneg. 31. 2 καὶ τὰ ὀνόματα δὲ ὅτι βραχέα καὶ εὐανάκλητα θετέον ταῖς κυσίν, καὶ τοῦτο χρὴ πείθεσθαι αὐτῷ. (Xenophonti).

Ea loca, in quae canes exercitationis causa domo educi debent, Xenophon statuit cyneg. 4. 10. Arrianus in cyneg. 25 3 eum sequitur.

Canes ita ad venandum institui vult Xenophon (cyneg. 7. 7), ut plane corroboratae emittantur tum primum, quum lepores catulis celeriores ab iis nec peti nec videri possint. Hoc venationis praeceptum Xenophontis noster commemorat cyneg. 25. 4

Xenophon postulat, ut venatores caveant, ne prius canes ad venandum emittant, quam corpora firma sint: ἐὰν γὰρ ὁμόθεν καλὰς τὰ εἴδη οὔσας καὶ εὐψύχους πρὸς τὸν δρόμον ἐπιλύῃ, ὁρῶσαι τὸν λαγῶ ἐντεινόμεναι ῥήγνυνται, οὔπω ἔχουσαι συνεστῶτα τὰ σώματα (cyneg. 7. 8). Idem commendat Arrianus ei, qui canibus gravidis utitur, cyneg. 31. 4 καὶ ἔστι τηνικαῦτα οὐκ ἀσφαλὲς ἐπιλύειν κύνα ἐπὶ λαγών. ῥήγνυνται γὰρ αὐταῖς αἱ λαγόνες.

Uterque scriptor canes hieme in campum nive ac glacie tectum educi vetat eadem causa commotus. Xen. cyneg. 8. 2 ἡ γὰρ χιὼν καίει τῶν κυνῶν τὰς ῥῖνας, τοὺς πόδας, τὴν ὀσμὴν τοῦ λαγῶ ἀφανίζει διὰ τὸ ὑπέρπαγες. Arr. cyneg. 14. 5 ἀποκαίονται γὰρ ἐν τῷ κρυστάλλῳ αἱ κύνες, καὶ τοὺς ὄνυχας ἔστιν αἳ ἀπολλύουσιν, καὶ τὰ νέρθεν τῶν ποδῶν αὐταῖς ῥήγνυται.

Postremum quibus rebus Arrianus et Xenophon in leporibus describendis inter se congruant, quibus discrepent, paucis absolvam.

Xenophon verba facit de leporum celeritate cyneg. 5. 29 *κατὰ πόδας δὲ οὐ πολλάκις ὑπὸ τῶν κυνῶν διὰ τὸ τάχος κρατεῖται. ὅσοι δὲ ἁλίσκονται παρὰ φύσιν τοῦ σώματος, τύχῃ δὲ χρώμενοι.* Xenophontis verba fere omnia repetita noster putat non ad lepores, sed ad canes Celticas referenda esse, quod canum genus illi auctori ignotum fuerit (cyneg. 2. 3). *εἰ δέ γε ἠπίστατο τὰς κύνας τὰς Κελτικάς ταὐτὸν τοῦτο δοκεῖ ἄν μοι ἀποφήνασθαι περὶ τῶν κυνῶν, ὡς ὁπόσους λαγῴους οὐχ αἱροῦσι κύνες κατὰ πόδας, παρὰ φύσιν σώματος οὐχ αἱροῦσιν, ἢ τύχῃ χρησάμεναι.*

Lepores montes et loca saxosa libenter pervagari Xenophon dicit cyneg. 5. 18. Similia tradit noster cyneg 17. 4.

De leporibus canes fugientibus Xenophon cyneg. 5. 20 haec scribit: *παρὰ τὰ αὐτὰ διὰ τῶν αὐτῶν ἀποχωροῦσιν.* Arrianus cyneg. 20 2 de venatorum sociis et adiutoribus locutus imitationem praebet: *κάμπτουσι παρὰ τὰ αὐτὰ διὰ τῶν αὐτῶν μηδὲν εἰς δύναμιν παραλείποντες τῶν ὑπόπτων.* Verba ultima ex Xen. cyneg. 6. 25 exorta mihi videntur: *μὴ παραλείποντα μηδὲν ὧν ἡ γῆ ἀνίησιν.*

Qui lepores investigatos captosque videat, eum tanta iucunditate frui arbitratur Xenophon cyneg. 5. 33. ut quidquid optet obliviscatur: *οὕτω δὲ ἐπίχαρι ἐστι τὸ θηρίον, ὥςτε οὐδεὶς ὅστις οὐκ ἂν ἰδὼν ἰχνευόμενον, εὑρισκόμενον, ἁλισκόμενον, ἐπιλάθοιτ᾽ ἂν εἴ του ἐρῴη.* Sententiam prolatam partim probavit partim improbavit Arr. cyneg. 16. 6, 7 *εὑρισκόμενον μὲν ὅςτις ἴδοι τὸ θηρίον καὶ διωκόμενον καὶ μεταθεόμενον ξυγχωρῶ διότι ἐπιλάθοιτ᾽ ἂν εἴ του ἐρῴη. ἁλισκόμενον δὲ ἰδεῖν οὔτε ἡδὺ τὸ θέαμα ἀποφαίνω οὔτε ἐκπληκτικόν, ἀλλ᾽ ἀνιαρὸν μᾶλλον καὶ οὐκ ἂν ἔτι γε τούτῳ ἐπιλαθέσθαι ἄν τινα εἴ του ἐρῴη.*

B. De singulis vocabulis.

In iis quae hucusque protulimus magnam vocabulorum copiam esse elucet, quae haud dubie noster Xenophonti debet. Sed numerus eorum multo maior est. Ratio autem habenda est tantum eorum, quae apud alios scriptores classicos non inveniuntur vel Xenophontis et poëtarum communia sunt. Nam probabilius est historicum magis historicos sequi, quam poëtas; nec dubium est, quin noster convictus, quod tam multa ex Xenophonte sumpserit, etiam vocabula eiusmodi ex eodem delibarit. In medium igitur proferam

a) Substantiva.

In eo Xenophontis libro, qui inscribitur *Ἀπομνημονεύματα*, 3. 3. 2 legitur: *ἡ δὲ ἀρχή που ἐφ' ἣν ᾕρησαι ἵππων τε καὶ ἀμβατῶν ἐστιν.* Vocabulum *ἀμβάτης* positum est pro *ἀναβάτης*. Haec forma in omnibus, quantum scio, codicibus et editionibus invenitur. Aliter aliis locis res se habet. Nam in eo scripto, quod est de re equestri, 3. 12, 5. 7, 12. 8 J. G. Schneider Saxo *ἀναβάτης* praefert formae *ἀμβάτης*. Duobus prioribus locis ei non assentiendum esse arbitror, quum omnes libri *ἀμβάτης* praebeant, altero loco Lipsiensi excepto, altero Parisino A. Tertio loco non valde repugnem, quod lectio *ἀμβάτης* codice Lipsiensi solo, qui in deterioribus libris numeratur, tradita est et forma *ἀναβάτης* a Xenophontis usu loquendi non aliena existit. cf. de re equestri 3. 3, 3. 9, 3. 12. In suum usum hoc vocabulum Arrianus saepius convertit anab. 2. 11. 3, 3. 13. 5, 4. 30. 8, 5. 19. 5, 6. 14. 3. Ind. 13. 12.

Δικαιότης pro *δικαιοσύνη* fere nunquam, ut arbitror, apud scriptores atticos extat. Invenitur Xen. anab. 2. 6. 26 *ἀληθείᾳ καὶ δικαιότητι* [1]), nec Arrianus hoc substantivum evitavit cf. anab. 4. 1. 1, 21. 7. Ind. 9. 12.

---

[1]) Omitto Xen. cyn. 1. 1 *διὰ δικαιότητα*, quum huius scripti cap. 1, 1 usque ad 17 non integrum esse Valckenaer recte iudicasse mihi videatur.

Poëtica est forma *φάος* pro *φῶς* usurpata a Xenophonte cyrop. 4. 2. 26 *ἔτι φάους ὄντος*, oec. 9. 3 *ὅσα φάους δεόμενα ἔργα ἐστίν*, nec aliter Arrianus anab. 3. 18. 6 *πρὶν φάους* (ante lucem), anab. 2. 11. 6 *ἔστε μὲν φάος ἦν* (3. 15. 3).

Notio vocis *ἄγημα* latissime patet. Praecipue significat agmen delectorum equitum peditumve, ut apparet ex Eustathii interpretatione, quae est Odyss. α. p. 1399. 62 *ἄγημα παρὰ Μακεδόσι τάγμα ἀπόλεκτον ἱππέων καὶ ὁπλιτῶν — διὰ τὸ ἀγητὸν εἶναι.* Apud Arrianum extat haec vox in anab. 1. 1. 11, 8. 3, 3. 11. 9, 4. 24. 1, 7. 11. 3. Neque dubium est, quin ex Xenophonte desumpta sit, quum apud alios orationis solutae scriptores classicos, quantum memini, non legatur. Xenophon *ἄγημα* exhibet de rep. Lac. 11. 9, 13. 6.

b) Adiectiva.

Xenophon anab. 3 1. 24 duces centurionesque adhortans eorumque animos confirmans quum alia verba facit tum haec: *φάνητε τῶν λοχαγῶν ἄριστοι καὶ τῶν στρατηγῶν ἀξιοστρατηγότεροι.* Adiectivum *ἀξιοστράτηγος*, quod praeter hunc locum apud scriptores classicos non invenitur, Arrianus praebet anab. 4. 11. 5 *βασιλέων τὸν βασιλικώτατον καὶ στρατηγῶν τὸν ἀξιοστρατηγότατον* [1]).

Vocabulum *δαήμων* [2]) dictionis Arrianeae proprium est; extat anab. 4. 29. 4. Ind. 18. 1, 32. 7; *δαημονέστατος* anab. 7. 28. 2. tact. 12. 1. Ex Xenophontis libris unum exemplum afferre possum cyrop. 1. 2 12 *δαημονέστατοι*

c) Verba.

Δουπεῖν poëtico verbo Xenophon utitur anab. 1. 8. 18 *ἐδούπησαν*. Idem verbum adhibet Arr. anab. 1. 6. 4 *δουπῆσαι* [3]).

[1]) Ex scriptoribus posterioris aetatis etiam Dio Cassius hac voce utitur.

[2]) Cf. Foerster Herm. XII. pag. 439.

[3]) Cf. pag. 28.

Item in usu *κλητίζεσθαι* verbi Arrianus anab. 7. 7. 3 *τὸ ὄνομα Μεσοποταμία κλητίζεται*, 7. 13. 1 *Νυσαῖαι κλητίζονται*, Ind. 1. 6 *Μηρὸς κλητίζεται* Xenophontem sequi videtur scribentem cyrop. 1. 2. 1 *οἱ Περσεῖδαι ἀπὸ Περσέως κλητίζονται.*

Λέλεγμαι pro *εἴλεγμαι* exhibet Arrianus anab. 2. 21. 1 *συλλελεγμένων*, 6. 22. 4 *συλλελεγμένον* (6. 26. 2); haec forma ex Xenophontis imitatione fluxisse mihi videtur, qui ab illius usu non abhorruit hell. 1. 6. 16 *ἐκλελέχθαι*, cyrop. 3. 3. 41 *ἐπιλελεγμένοι.*

Τυχόν accusativus absolutus participii aoristi a verbo *τυγχάνω* derivati gerens significationem „möglicherweise" nusquam apud atticos scriptores deprehenditur nisi apud Xenophontem anab. 5. 9. 20 *τυχὸν δὲ καὶ ἀγαθοῦ τινος ἂν αἴτιος τῇ στρατιᾷ γενέσθαι.* Arrianus [1]) hanc scribendi rationem secutus nescio an ex Xenophonte sumpserit (anab. 1. 10. 6, 2. 6. 6 etc. Ind. 1. 4, 5, 2. 3, 3. 9).

d) Praepositiones.

Ἔστε ἐπί ita ut locutio „usque ad" exprimatur, Xenophon et Arrianus fere soli exhibent. Xenophon, quantum memini, semel anab. 4. 5. 6 *ἔστε ἐπὶ τὸ δάπεδον*; Arrianus *ἔστε ἐπί* in deliciis habet anab. 1. 7. 8, 28. 3, 2. 25. 1, 3. 1. 3, 4. 2, 6. 7, 7. 2, 11. 4, 15. 5, 18. 5, 4. 6. 5, 9. 4, ind. 1. 1, 8, 2. 4, 3. 4, 19. 6, 9, peripl. 11. 4, tact. 12. 4 etc.[2]).

Μέχρι ἐπί extat. Xen. anab. 5. 1. 1 *μέχρι εἰς* anab. 6. 2. 26. Similiter Arr. anab. 1. 6. 11 *μέχρι πρὸς τὰ ὄρη τῶν Ταυλαντίων.*

Praepositio *ἀμφί* cum genitivo, quae idem significat atque *περί* cum genitivo, coniuncta nobis occurrit Xen. anab. 4. 5. 17 *ἀμφὶ ὧν εἶχον διαφερόμενοι*, cyrop. 3. 1. 8 *τῆς δίκης τῆς ἀμφὶ τοῦ πατρός.* Hanc rationem loquendi habet etiam Arr. anab. 4. 9. 9 *τῆς ἀμφὶ τοῦ Ἄμμωνος πατρὸς δόξης.*

---

[1]) Cf. Foerster l. l. pag. 439.
[2]) Cf. Foerster l. l. pag. 440.

Raro adhibetur a classicis scriptoribus *ὑπέρ* cum accusativo, si is locus significatur, ubi aliquis vel aliquid versatur. Xenophon solus hanc structuram usurpat anab. 1. 1. 9 *τοῖς Θρᾳξὶ τοῖς ὑπὲρ Ἑλλήσποντον*[1]) *οἰκοῦσιν.* Passim sic posteriores, veluti ipse Arr. anab. 1. 14. 4 *τὰ ὑπὲρ τὴν ὄχθην χωρία*, an. 13. 3, 15. 7, 25. 5. Ind. 32. 1.

e) Coniunctiones.

Negatio coniunctionis *καὶ γὰρ καί*, quae est *οὐδὲ γαρ οὐδέ*, ad usum Homericum vel poëticum maxime referenda est. Notio negativa hoc modo non solum ponitur, sed etiam augetur, Xenophon semel negationem huiusmodi praebet cyrop. 7. 2. 20 *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τοῦτο ἐψεύσατο;* eodem modo Arr. anab. 1. 12. 5, 5. 24. 6.

Vocabula *ὅτι ὡς* sive *ὡς ὅτι* ita coniuncta, ut alterum redundet, fere inusitata sunt. Apud Xenophontem bis inveniuntur hell. 3. 2. 14 *εἰπών, ὡς ὅτι ὀκνοίη*, hell. 3. 4. 20 *προεῖπεν αὐτοῖς, ὅτι ὡς εὐθὺς ἡγήσοιτο.* Arrianus hunc usum imitatur anab. 7. 3. 6. L. Dindorfius autem et Abichtius in Xenophontis et Arriani editionibus illud *ὅτι* deleverunt fortasse ea re commoti, quod tautologia esse videtur e glossemate nata. Huic opinioni obiiciendum esse arbitror coniunctioni *ὡς* omnibus notae nullo glossemate opus esse. Huc accedit, quod duobus locis supra allatis omnes codices eandem praebent lectionem: neque id parvi aestimandum est, quod *ὡς ὅτι* etsi apud alios scriptores rarissime extat, ab iis auctoribus adhibetur, quorum unus ab altero pendet.

Non pauca Xenophontis vocabula ab Arriano recepta esse quum videamus, cavendum est, ne arbitremur quaecunque verba Xenophontis propria sunt, ea Arrianum in suum usum transtulisse. Aliae enim voces poëtarum haud

---

[1]) Krueger scribit *Ἑλλησπόντου*, quae lectio ab omnium codicum fide abhorret.

raro hic illic in Xenophontis libros irrepserunt, quibus Arrianus uti noluit. Ex multis exemplis pauca eligere mihi liceat.

Xen. anab. 1. 4. 4 *ἠλίβατος* (inaccessus)
„ „ 5. 3. 9 *λάχος* (pars)
„ „ 5. 8. 1 *μείωμα* (imminutio)
„ „ 7. 1. 29 *ἐξαλαπάζειν* (vastare).

Interdum noster utitur formis a stirpe Xenophontis vocabulorum derivatis, sed aliter atque illa desinentibus. Xen. cyneg. 5. 18 *φέλλιον* (loca lapidosa) Arr. cyneg. 18. 4 *φελλεών*. — Xenophon cyneg. 3. 7 praebet medium *ὑπερλαμπρύνεσθαι* (nimis se iactare); forma activa eandem vim exhibet in Arr. cyneg. 7. 7 *ἐπειδὰν λαμπρύνωσιν*.

Medium verbi *ποιεῖν* nonnullis locis Xenophonteis praegnanter, ut ita dicam, adhibetur; exempli gratia affero anab. 1. 10. 9 *ποιήσασθαι ὄπισθεν τὸν ποταμόν* id est: facere, ut flumen a tergo sit (cyrop. 3. 3. 28). Eodem modo huius verbi activum reperitur in Arr. anab. 2. 13. 1 *μέσον αὐτοῦ τε καὶ τοῦ Ἀλεξάνδρου τὸν Εὐφράτην ποιῆσαι*.

Diversam significationem induit verbum *σκυλακεύειν* apud utrumque scriptorem. Xen. cyneg. 7. 1. significat „canes ad feturam admittere", Arr. cyneg. 8. 4, 31. 3 „catulos nutrire".

Nostrum non ubique Xenophontis vestigia pressisse, verum etiam suas vias suasque rationes scribendi secutum esse inde quoque apparet, quod magnam vocabulorum partem plane neglexit, quae Xenophon primus adhibuit. Maxime autem Xenophon in Cynegetico et libro de re equestri ad nova vocabula usurpanda coactus est. Quum enim ante illius aetatem disciplina rei venaticae, quantum scio, non extaret et tota ars equestris nondum ad praecepta et litteras revocata esset, Xenophon, qui viam harum disciplinarum aperuit, vocabula ex venatione et re equestri desumpta formaret necesse erat. Omitto talia Xenophontis verba in libello de re equestri usurpata et ab Arriano neglecta, quia mihi opponi posset occasionem nostro defuisse illa adhibendi; proferam nonnulla verba Xenophontei

Cynegetici propria, quae noster evitavit, quamquam non pauca, ut in primo capite vidimus, ex eius Cynegetico recepit. Vocabula huiusmodi sunt fere haec:

Xen. cyn. 5. 4 ἐπαναρριπτεῖν (se iactare)
Arr. cyn. 7. 5 ἐπανιέναι.

Xen. cyn. 6. 25 ὑπόκοπος.
Arr. cyn. 18. 2 ἀπηγορευκώς.

Xen. cyn. 9. 17 περιφοβεῖσθαι τοὺς ἀνθρώπους.
Arr. cyn. 7. 3 ἀνθρώπους δεδιέναι.

Xen. cyn. 4. 5 συνεκπερᾶν (percurrere).
Arr. cyn. 12. 1 διαθεῖν.

Xen. cyn. 5. 23 ὑποχαροπός.
Arr. cyn. 4. 5 χαροπός.

Xen. cyn. 5. 23 περιποίκιλος.
Arr. cyn. 3. 7 ποικίλος.

C. De locutionibus.

Primum in locorum descriptione locutiones mihi occurrunt, quas Arrianum ex Xenophonte deprompsisse elucet.

Xen. anab. 1. 2. 6 πόλιν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην (sexcenties apud Xen.).
Arr. anab. 2. 13. 8 πόλιν μεγάλην καὶ εὐδαίμονα.

Xen. anab. 2. 3. 13 ἵνα πολλὰ τὰ ἄπορα φαίνοιτο.
Arr. cyrop. 5. 24. 1 ἵνα πολλὰ τὰ ἄπορα φαίνηται.

Xen. anab. 1. 1. 4 Φρύγας ἀμφοτέρους.
Arr. anab. 5. 25. 4 Φρύγες ἀμφότεροι.

Xen. anab. 4. 2. 18 ἀντίπορον λόφον.
Arr. anab. 1. 27. 6 ἀντίπορον ὄρος.

Xen. cyrop. 5. 3. 11 *φρούριον — ἐπιτετειχίσθαι τῇδε τῇ χώρᾳ.*

Arr. anab. 1. 28. 6 *φρούριον ὀχυρὸν ἐπιτετειχισμένον τῇ χώρᾳ.*

Xen. anab. 4. 6. 17 *τὸ ὄρος νέμεται αἰξίν.*
Arr. anab. 7. 20. 4 *νέμεσθαί τε αὐτὴν αἰξίν.*

Xen. anab. 3. 1. 2 *κύκλῳ πάντῃ.*
Arr. anab. 1. 27. 3 *ἐν κύκλῳ πάντῃ.*

Xen. anab. 1. 2. 7 *αἱ δὲ πηγαί εἰσιν ἐκ τῶν βασιλείων.*
Arr. anab. 1. 29. 2 *αἱ μὲν πηγαὶ ἐκ Φρυγίας εἰσίν.*

Uterque scriptor magna deorum pietate imbutus nonnunquam utitur locutionibus, quae religione et rebus sacris continentur. Quam similes eae in utriusque scriptis sint, nunc exemplis illustrandum est.

Xen. anab. 4. 3. 13 *τοῖς φήνασι θεοῖς.*
Arr. anab. 2. 3. 8 *τοῖς φήνασι θεοῖς.*

Xen. anab. 7. 1. 40 *ἐστεφανωμένος ὡς θύσων.*

Arr. anab. 2. 26. 4 *θύοντι Ἀλεξάνδρῳ καὶ ἐστεφανωμένῳ.*

Xen. anab. 6. 4. 13 *οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερά* (paucis lineis septies).

Arr. anab. 4. 4. 3 *τὰ ἱερὰ οὐκ ἐγίγνετο.*

Xen. anab. 5. 9. 5 *ἐπεὶ σπονδαὶ ἐγένοντο καὶ ἐπαιάνισαν.*
Arr. anab. 7. 11. 9 *σπονδὴν σπεῖσαι καὶ ἐπ' αὐτῇ παιανίσαι.*

Xen. hell. 5. 4. 17 *σημαίνειν πρὸ τῶν μελλόντων.*
Arr. anab. 7. 22. 3 *πρὸ τῶν μελλόντων σημῆναι.*

Xen. anab. 1. 6. 7 *πιστὰ διδόναι καὶ λαμβάνειν.* (an. 3. 2. 5, 5. 4. 11).

Arr. anab. 1. 4. 7 *ἔδωκε πίστεις καὶ ἔλαβεν.*

Xen. anab. 2. 2. 13 ἡ δὲ τύχη στρατηγεῖ.
Arr. anab. 2. 7. 3 ὁ θεὸς στρατηγεῖ.

Iam aliae locutiones in utroque scriptore similes in lucem prodeant.

Xen. anab. 4. 2. 2 ὕδωρ πολὺ ἦν ἐξ οὐρανοῦ.
Arr. anab. 2. 6. 2 ἐπιγίγνεται ὕδωρ ἐξ οὐρανοῦ.

Xen. anab. 4. 3. 6 τὸ ὕδωρ ὑπὲρ τῶν μαστῶν ἐφαίνετο.
Arr. anab. 5. 13. 3 ἦν γὰρ ὑπὲρ τοὺς μαστοὺς τὸ ὕδωρ.

Xen. mem. 2. 1. 2 σίτου ἅπτεσθαι.
Arr. anab. 4. 9 5 σίτου ἥψατο.

Xen. cyrop. 4. 2. 21 κατὰ τὸ καρτερόν.
Arr. anab. 5. 13. 3 ἐς τὸ καρτερώτατον.

Xen. anab. 1. 2. 22 ἐκ θαλάττης ἐς θάλατταν.
Arr. anab. 2. 1. 2 ἐκ θαλάττης ἐς θάλατταν.

Xen. anab. 5. 2. 26 ὅπως ἀμφὶ ταῦτα ἔχοιεν (6. 4. 1, 7. 2. 16).
Arr. anab. 1. 5. 4 ἀμφὶ τὰ αὑτῶν εἶχον.

Xen. anab. 3. 2. 8 αὐτοῖς διὰ φιλίας ἰέναι.
Arr. anab. 1. 7. 10 τοῖς Θηβαίοις διὰ φιλίας ἐλθεῖν.

Xen. anab. 3. 1. 26 βοιωτίζων τῇ φωνῇ.
Arr. anab. 6. 13. 5 βοιωτίζοντα τῇ φωνῇ.

Xen. anab. 7. 3. 36 πρὸ ὑμῶν ἀγρυπνήσαντα.
Arr. anab. 7. 9. 9 προαγρυπνῶν δὲ ὑμῶν.

Xen. cyrop. 6. 3. 12 ὡς λέξων τι ἀνήγετο.
Arr. anab. 7. 11. 5 ἀνήγετο ὥς τι ἐρῶν.

Xen. anab. 2. 1. 8 εὑρίσκεσθαι ἄν τι δύνωνται ἀγαθόν.
Arr. anab. 3. 21. 5 σφίσιν τι ἀγαθὸν εὑρίσκεσθαι (2. 15. 3, 25. 3).

Xen. cyrop. 4. 6. 6 *εἰς τὸν φονέα ἡ ἀρχὴ περιήκει.*
Arr. anab. 4. 13. 4 *περιῆκεν ἐς Ἀντίπατρον ἡ φυλακή.*

Xen. hell. 4. 5. 5 *οἱ ἐν τῷ Ἡραίῳ καταπεφευγότες.*
Arr. anab. 4. 27. 8 *οἱ ἐν τῇ πόλει ξυμπεφευγότες.*

Xen. anab. 5. 1. 15 *πολυπραγμονῶν τι ἀπέθανε ὑπὸ Νικάνδρου.*
Arr. anab. 2. 13. 3 *πολυπραγμονῶν τι ἀποθνήσκει ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων.*

Xen. anab. 1. 8. 11 *ὡς ἀνυστόν* (quantum fieri potest).
Arr. tact. 39. 3 *ὡς ἀνυστόν.*

Xen. cyrop. 5. 2. 30 *καὶ ὁ λόγος οὗτος πολύς.*
Arr. anab. 1. 7. 3 *καὶ γὰρ καὶ πολὺς ὁ λόγος οὗτος.*

Xen. hell. 5. 3 6 *ὅτιπερ ὄφελος ἦν τοῦ στρατεύματος.*
Arr. anab. 2. 7. 6 *Περσῶν ὅτιπερ ὄφελος.*

Xen. anab. 7. 3. 36 *καὶ ἐν τῷ μέρει καὶ παρὰ τὸ μέρος* (ex officio et praeter officium).
Arr. anab. 3. 26. 4 *καὶ ἐν τῷ μέρει καὶ παρὰ τὸ μέρος.*

Xen. hell. 4. 3. 17 *σιγὴ πολλὴ ἀπ' ἀμφοτέρων ἦν.*
Arr. anab. 1. 14. 5 *σιγὴ πολλὴ ἀφ' ἑκατέρων.*

Xen. cyrop. 7. 1. 18 *ταῖς δ' ἐλπίσιν ἐπικουφίζων.*
Arr. anab. 2. 18. 4 *χρήμασιν ἐπικουφίζοντες.*

Xen. anab. 5. 7. 28 *ἐν οὐδεμιᾷ χώρᾳ ἔσονται.*
Arr. anab. 7. 6. 5 *ἐν ἀτίμῳ χώρᾳ ἄγοντος.*

Xen. anab. 4. 5. 35 *ἐκεκάκωτο ὑπὸ τῆς πορείας.*
Arr. anab. 4. 5. 5 *ὑπὸ τῆς ξυνεχοῦς πορείας κεκάκωτο.*

Xen. hell. 2. 2. 13 *αὐτόθεν αὐτοὺς ἐκέλευον ἀπιέναι.*
Arr. anab. 2. 6. 1 *οἱ δὲ αὐτόθεν — ἄγειν ἐκέλευον.*

Xen. hell. 6. 2. 9 *ἐν καλῷ τοῦ Κορινθιακοῦ κόλπου.*
Arr. anab. 4. 1. 3 *ἐν καλῷ — τῆς — ἐλάσεως.*

Xen. anab. 3. 2. 37 *εἰ μὲν οὖν ἄλλος τις βέλτιον ὁρᾷ, ἄλλως ἐχέτω.*
Arr. anab. 5. 8. 1 *εἰ δή τινι ἄλλῃ μηχανῇ, ἐκείνῃ ἐχέτω.*

Xen. anab. 1. 8. 18 *ταῖς ἀσπίσι πρὸς τὰ δόρατα ἐδούπησαν*[1]).
Arr. anab. 1. 6. 4 *τοῖς δόρασι δουπῆσαι πρὸς τας ἀσπίδας.*

Adiungo nonnullas locutiones militares, quas num Arrianus Xenophonti debeat, incertum est, quia termini rei militaris fuisse videntur.
Xen. anab. 1. 18. 8 *ἐξεκύμηνέ τι τῆς φάλαγγος.*
Arr. anab. 2. 10. 3 *τὶ κυμῆναν τῆς φάλαγγος.*

Xen. cyrop. 1. 6. 40 *κατὰ πόδας αἱρεῖν* (per vestigia insequendo capere).
Arr. anab. 3. 20. 3 *κατὰ πόδας αἱρήσειν.*

Xen. anab. 1. 8. 19 *μὴ θεῖν δρόμῳ, ἀλλ' ἐν τάξει ἕπεσθαι.*
Arr. anab. 3. 21. 8 *ἐν τάξει ἕπεσθαι — δρόμῳ ἡγεῖτο.*

Xen. hell. 4. 8 18 *ἐκέλευσε περιβαλλομένους ἐλαύνειν ὅτι δύναιντο.*
Arr. anab. 4. 16. 5 *λαίαν δὲ πολλὴν περιβαλλόμενοι ἤλαυνον.*

---

1) Cf. pag. 20.

D. De structuris.

Si perscrutandum est, quibus rebus dictio Arriani ad Xenophontis sermonem accedat, quibus ab eodem recedat, non ignoremus necesse est, qua uterque utatur elocutione. Atque Xenophontis propria est suavis quaedam dictio et dilucida, nec iniuria Quintilianus (10. 1. 82) dicit deam quandam persuadendi in Xenophontis labris sedisse. Quum autem elocutio illius non sit vibrans multisque nervis intenta, sed dulcedine quadam placeat, quam quispiam minus exprimat quam sentiat, magna oriuntur difficultates ei, qui constitutum eat, utrum Arrianus sermonem Xenophontis imitatus sit necne. Itaque factum est, ut alii aliter iudicarent. Jacobus Wetstein de Arriano „stilus eius, inquit, purus est, tersus, elegans, sic ut non solum propter scriptorum similitudinem, sed propter sermonis etiam minoris Xenophontis nomen invenerit“. Quae si Wetstein Periplo Arriani praemisisset soli, non dubitassem ei assentiri. Hoc scriptum si quis perlegerit, enuntiata breviter formata et Xenophontis propria in eo esse animadvertet, praesertim quum Arrianus, ut supra vidimus, etiam argumenti tractationem illius scriptoris in Periplo saepius sequatur. Neque mirum esse potest, quod hic libellus in enuntiatis componendis et asserendis ad exemplum propositum magis accedit, quam Anabasis. Periplus enim, ut opinio mea fert, aetate est inferior altero scripto, et Arrianus quum Periplum conscriberet, Xenophontis opera saepius perlegerat et orationem suam ad illius rationem dicendi magis applicaverat. Ut igitur brevi comprehendam, si iudicium, quod Wetstein tulit, ad omnia Arriani scripta revocamus, maiorem quam par est laudem huic auctori tribuimus. Neque silentio praetermittendum est, quid Sintenis de Arriani stilo senserit. Ille enim in medium profert haec verba: „Gegen die anziehende Klarheit Xenophons, seine einfache und doch anmuthige und lebendige Darstellung tritt Arrians Sprache zurück; statt der Gleichmässigkeit Jenes bei Arrian eine ungleiche Haltung des Ausdrucks, der Satzbau mühsamer,

durch unverhältnissmässige Länge der Perioden zuweilen schleppend und ohne gefällige Abrundung, die Verknüpfung der Rede unbeholfener. Dabei eine stereotype Breite, besonders in erklärenden Zusätzen, (vgl 4. 3. 7, 5. 14. 4, 6. 3. 4, 7. 20. 4, Ind. 3. 3, 11. 8) die an die bequeme und naive Redseligkeit Herodots erinnert“.

Ac mihi elocutionem Arriani consideranti Sintenis non multum a veritate abhorrere videtur, si de Anabasi ita iudicat, sin autem tale iudicium ad omnia scripta refert, mea quidem sententia iusto audacius progreditur. Recte Sintenis dicit dissimilitudinem inter Xenophontis et Arriani orationem intercedere. Arrianus enim in Anabasi enuntiata longis periodis interdum nimis diducit, Xenophon autem multas longasque periodos evitans enuntiata plerumque breviter et dilucide format. Iam vero noster saepe vocabula repetit in iis enuntiatis, quae adiuncta sunt, ut res antea commemoratas interpretentur. Sintenis sex exempla affert, quorum numerus augeri potest. (Arr. anab. 1. 26. 4, 2. 24. 6, 4. 4. 3, 8. 6, 29. 4, 6. 1. 5, 3. 4, 23. 3). Haec ratio dicendi ad Herodotum magis spectat, quam ad Xenophontem, qui huiusmodi exemplum praebet anab. 1. 1. 2 *ἀ ν α β α ί ν ε ι οὖν ὁ Κῦρος — καὶ τῶν Ἑλλήνων δὲ ἔχων ὁπλίτας ἀ ν έ β η τριακοσίους.*

Remissius loquitur Arrianus, quum participium absolutum pro participio coniuncto adhibet et vocabulum cum participio consociatum denuo collocat. Ut exemplo utar, Arr. anab. 1. 17. 3 *ἀπέχοντος αὐτοῦ — ἧκον παρ᾽ αὐτόν* dictum est pro *παρ᾽ αὐτὸν ἀπέχοντα ἧκον.* — Sic Herodotus late se fundere solet, non Xenophon, apud quem hic usus est parcus cf. anab. 5. 2. 24 *μαχομένων δὲ α ὐ τ ῶ ν καὶ ἀπορουμένων θεῶν τις αὐτοῖς μηχανὴν σωτηρίας δίδωσιν.*

Adnotandum quoque esse mihi videtur Arrianum enuntiata non raro conglutinare per ὁ δέ, ita ut ὁ δέ ad subiecti notionem enuntiati antecedentis referatur, anab. 1. 15. 6, 16. 6, 2. 11. 5, 12. 3, 23. 2, 4. 2. 4, 8. 3.

Hac structura utitur noster more Herodoti, non Xenophontis, qui perraro ita loquitur.

Alias structuras Arriani afferre possum, quas illum Herodoto debere veri similius est, quam Xenophonti, sed eas praetereo, quum ad quaestionem Herodoteam pertineant: omitto quoque dicere, quas structuras noster ex Thucydide deprompserit, quoniam de iis Meyer egit l. l. p. 5—11: proferendae sunt structurae Xenophontis propriae, quas Arrianus recepit. Atque ut brevi dicam, quum Xenophontis structura plerumque mera et sincera sit, quumque remissius genus dicendi ab illo interdum usurpatum etiam apud alios scriptores classicos inveniatur, vix habeo, quod adnotem, nisi nonnullas proprietates in collocatione verborum positas.

Rarissimus apud atticos solutae orationis scriptores est genetivus partitivus inter articulum et substantivum collocatus. Attamen legimus Xen. hell 5. 4. 1 *τοὺς τῶν πολιτῶν εἰςαγαγόντας εἰς τὴν Ἀκρόπολιν.* Eandem collocationem praebet Arr. anab. 1. 10. 5 *τοὺς τῶν Θηβαίων νεωτερίσαντας.*

Genitivus pronominis *αὐτός* continetur positione, quae dicitur praedicativa; collocatio, quae est attributiva, extat Xen. cyrop. 1. 1. 5 *τῇ αὐτοῦ γνώμῃ,* Arr. anab. 3. 21. 5 *τῇ αὐτοῦ σατραπείᾳ.*

Ab usu omnium scriptorum communi uterque scriptor recedit, quum negationem non ad id vocabulum adiungit, ad quod pertinet. Ut quae dixi testimonio explicem, Arr. anab. 2. 24. 1 *οὐδὲ τοῦτον κλεῖθρόν γε ἔχοντα* collocatum est pro *οὐδὲ κλεῖθρόν γε τοῦτον ἔχοντα.* Apertum enim est *οὐδὲ* non ad *τοῦτον* revocandum esse, sed ad *κλεῖθρον.* Itaque vertendum est: ne claustrum quidem hunc habuisse. In hac ratione scribendi congruit Arrianus cum Xenophonte, qui similes verborum positiones exhibet anab. 7. 7. 10 *οὐδὲ ἐμὲ παρακαλέσαντες* pro *οὐδὲ παρακαλέσαντες ἐμέ* (anab. 5. 6. 22).

Adverbium *οὕτω,* quod ante id adiectivum ponitur, ad quod referendum est, Xenophon nonnunquam post id collocat

anab. 4. 28. 26 *ἐν σκληρῷ καὶ δασεῖ οὕτως* (anab. 2. 4. 7). Hoc verborum ordine, qui in sermone familiari non raro usu venit, etiam Arrianus utitur anab. 1. 4. 3 *εὐμαρῶς οὕτω*.

Arr. anab. 1. 9. 1 legitur: *πάθος τοῦτο Ἑλληνικόν* id est *τοῦτο ἦν πάθος Ἑλληνικὸν ὅπερ* — Pronomen igitur, quod locum subiecti tenet intra membra notionis praedicativae positum est. Item Xen. anab. 4. 1. 20 *μία δὲ αὕτη ὁδός* (anab. 4. 7. 4) [1]).

Quum ad ea, quae hoc capite diximus, respexerimus, Arrianum singulares structuras plures aliis scriptoribus debere intelligemus, quam Xenophonti; nec dubium est, quin noster Xenophontis sermonem imitari studuerit, sed imaginem propositam non assecutus sit, illustrans ille, quod iustissime Cicero de Xenophonte iudicavit orat. cap. 23 „orationis subtilitas imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus“.

Neque in fine huius opusculi quaestio supervacanea mihi videtur, utrum noster ex Xenophonte plura hauserit an ex Thucydide. Quare summam faciamus eorum, quae pertractavimus, et singulas res ad normam et numerum revocemus. Hoc modo etiam magis apparebit, quibus ex scriptis Xenophontis noster praecipue fructum ceperit.

I. De Arriano igitur Xenophontis imitatore haec statuo:

1) Arrianus quadraginta sex locis argumento Xenophontis utitur: quater decies sententiis solis, tricies bis sententiis, quae verbis Xenophontis redditae sunt. In Arriani Anabasi occurrunt duodecim loci Anabaseos Xenophonteae, quattuor Cyropaediae, quattuor Historiae

---

[1]) Talem collocationem Thucydidem praebere, si substantivum praedicativum cum superlativo coniunctum est, Meyer l. l. pag. 11 demonstravit.

Graecae; in Arriani Periplo inveniuntur octo loci Anabaseos Xenophontis, in Cynegetico quindecim loci Cynegetici et unus Anabaseos Xenophonteae, in Tacticis duo loci Anabaseos.

2) Arrianus sedecim vocabula debet Xenophonti: octo vocabula Xenophontis Anabaseos propria, quinque Cyropaediae, unum Commentariorum, unum Historiae Graecae, unum libelli de republica Lacedaemoniorum; ex ceteris Xenophontis scriptis, quantum scio, vocabula noster non hausit.

3) Arrianus imprimis in Anabasi adhibet quadraginta quinque locutiones Xenophonteas, si quattuor termini adnumerantur: undetriginta Anabaseos, octo Cyropaediae, septem Historiae Graecae, unam Commentariorum.

4) Arrianus praebet quinque collocationes verborum Xenophonteas

II. De Arriano Thucydidio

iudicans summam facio dissertationis Meyerianae iis rebus omissis, quas ex eius argumentis delendas esse arbitror. Hanc rationem secutus statuo Arrianum desumpsisse ex Thucydide 1) triginta duo enuntiata,
2) viginti septem vocabula,
3) sexaginta locutiones,
4) tredecim structuras.

Enuntiata igitur noster Xenophonti plura debet, quam Thucydidi, locutionum paulo minorem numerum; in singulis vocabulis et singularibus structuris adhibendis magis Thucydidem imitatus est, quam Xenophontem. Quae quum ita sint, difficile dictu est, utrum noster magis secutus sit. Si rebus maiorem gravitatem vindicamus, quam singulis verbis, Xenophon dicendus erit. Quum vero enuntiata Arriani ex Herodoto exscripta non multa extare mihi videantur, eorum scriptorum, quos Arrianus imitatus est, hic ordo efficitur: Xenophon, Thucydides, Herodotus.

Corollarium.

In hac appendice mihi proposui primum ea proferre, quae in dissertatione Meyeriana ad Arrianum Thucydidium demonstrandum minus recte statuta sint, quum similia etiam apud Xenophontem aut Herodotum extent.

Usus ille Thucydidis et Arriani [1]), e quo adiectiva et participia articulo anteposito substantiva fiunt, a Xenophonte non evitatur: *τὸ βαρβαρικόν* (anab. 1. 8. 4, 8. 5), *τὸ Ἑλληνικόν* (anab. 1. 4. 13, 8. 15, 3. 4. 34), *τὰ αἰχμάλωτα* (anab. 4. 1. 13), *τὸ ὑψηλόν* (an. 3. 4. 25), eodem loco *τὸ πρανές*, *ὁ φεύγων* (anab. 1. 1. 7), *ὁ τλήμων* (an. 3. 1. 29), *τὸ δέον* (an. 1. 3. 8).

Verbum *πυνθάνεσθαι* [2]) coniunctum cum *γνώμας* reperitur etiam apud Herodotum 8. 67.

Ὑπερφέρειν [3]) cum genitivo obiecti consociatum invenitur apud Herodotum 8. 138, 9. 96.

Genitivus cum articulo inter praepositionem et ex ea pendens substantivum cum articulo coniunctum [4]) extat apud Herodotum 2. 7 *ἀπὸ τῶν δυώδεκα θεῶν τοῦ βωμοῦ*, 2. 94 *ἀπὸ τῶν σιλλικυπρίων τοῦ καρποῦ*.

Praepositio *ἕνεκα* [5]) plura regens nomina post primum substantivum collocatur ab Herodoto 1. 30 *σοφίης εἵνεκεν τῆς σῆς καὶ πλάνης*. 3. 79 *ἀδυνασίης εἵνεκεν καὶ φυλακῆς τῆς ἀκροπόλιος*.

Pronomine *τοιάδε* [6]) utitur Xenophon, ut orationes habitas se non ad verbum reddere significet anab. 1. 3. 2 *ἔλεξε τοιάδε*, anab. 2. 3. 17, oec. 1. 1.

Σημαίνειν [7]) idem valet atque *σημεῖον εἶναι* Xen. hell. 5. 4. 17.

[1]) Meyer, l. l. pag. 6.
[2]) Meyer, pag. 9.
[3]) Meyer, pag. 9.
[4]) Meyer, pag. 10.
[5]) Meyer, pag. 11.
[6]) Meyer, pag. 14.
[7]) Meyer, pag. 15.

Προφέρειν[1]) notionem narrandi habet etiam apud Xen. oec. 14. 6 (L Dindorfius contra codicum auctoritatem *προςφέρειν* scribere mavult.)

Pro *πρίν* cum inf.[2]) Herodotus ponit *πρότερον - ἤ* cum inf. 1. 72, 2. 11.

Per verbum *ποιεῖσθαι*[3]) cum substantivo coniunctum periphrasis eius verbi, unde substantivum ductum est, apud Xenophontem fere sexcenties efficitur: anab. 1. 1. 6 *τὴν συλλογὴν ποιεῖσθαι* pro *συλλέγεσθαι*, anab. 1. 2. 1 *τὴν πρόφασιν ποιεῖσθαι* pro *προφασίζεσθαι*, hell. 4. 2. 12, 4. 2, 5 2, 5. 16 etc.

Πόλεμος συστάς[4]) Herod. 7. 144.

Ἀπὸ συνθήματος[5]) Herod. 5. 74.

Κατὰ χώραν μένειν[6]) Herod. 1. 169.

Ἐφ᾽ ἁρπαγὴν τρέπεσθαι[7]) Xen. Ages. 1. 32.

(*ἐς ἁρπαγὴν τρέπεσθαι* Xen. hell. 6. 5. 30.)

Ἐκ πολλοῦ[8]) (iam dudum) Xen. cyrop. 1. 6. 41, 3. 3. 57, 6. 2. 25.

Οὐδενὶ κόσμῳ[9]) Herod. 3 13, 8. 60.

Κατὰ ταὐτά cum dativo[10]) Xen. oec. 16. 7. Herod. 2. 104.

Nunc ad ea transeo, quae etsi apud scriptores classicos rara sunt, tamen nonnunquam leguntur apud Xenophontem et Thucydidem aut apud Xenophontem et Herodotum aut apud hos tres auctores, ita ut in dubio relinquendum sit, quem Arrianus sequatur.

Καὶ γὰρ καί (etenim etiam), quod invenitur apud

---

1) Meyer, pag. 15.
2) Meyer, pag. 17.
3) Meyer, pag. 17.
4) Meyer, pag. 19.
5) Meyer, pag. 19.
6) Meyer, pag. 19.
7) Meyer, pag. 19.
8) Meyer, pag. 22.
9) Meyer, pag. 23.
10) Meyer, pag. 23.

Thuc. 6. 61. 2, 8. 64. 4. Xen. anab. 2. 2. 15, Arrianus in deliciis habet (anab. 3. 2. 3, 8. 7, 4. 8. 2, 5. 3. 2, 4. 5, 20. 9, 6. 20. 1, 22. 3, 24. 4, 7. 24. 2. Ind. 8. 13 etc).

Verbum γεραίρειν apud poëtas solos frequens Herodotus semel adhibet 5. 6. 7 χοροῖσιν ἐγέραιρον, saepius Xenophon hell. 1. 7. 33 στεφάνοις γεραίρειν τοὺς νικῶντας, cyrop. 8. 1. 39 τιμαῖς ἐγέραιρεν, oec 4. 8 ἕδραις γεραίρειν (Hieron 7. 2). Arrianus idem exhibet anab. 4. 10. 7 ζῶντα γεραίρειν.

Δοριάλωτος est adiectivum in oratione pedestri attica fere inusitatum. Occurrit apud Herod. 8. 74 χώρης δοριαλώτου, Xen. cyrop 7. 5. 35 δοριαλώτου τῆς πόλεως, Arr. anab. 6 27. 5 τὰ ἔθνη τὰ δοριάλωτα.

Ξυναλίζειν maxime in poëtarum usu est; attamen extat apud Herod 2. 111, 7. 13, 5. 102. Xen. anab. 5. 17. 1, 7. 3. 48, cyrop. 1. 4. 14, hell. 1. 2 15. Arr. anab. 5. 17. 1.

Praepositio πρός cum genitivo coniuncta quum idem valet atque ὑπό praepositio cum genitivo consociata ex verbi forma passiva pendens ab Atticis plerumque evitata nonnunquam ab Herodoto 1. 47 οὐ λέγεται πρὸς οὐδαμῶν (1. 61, 1. 73, 1. 21, 7. 60) et a Xenophonte anab. 1. 9. 20 ὁμολογεῖται πρὸς πάντων (oec. 4. 2, 6. 17) usurpata est. Arriano ea in deliciis fuit anab. 3. 18. 9, 25. 2, 26. 3, 29. 6, 4. 1. 5, 4. 4, 8. 8, 14. 3, 16. 3, 16. 7, 5. 4. 3, 7. 1, 13. 4, 19. 4, 25. 1. Ind. 2 8, 32. 10.

Ἔνι pro ἔνεστι praebet Herod. 7. 112. Xen. anab. 5. 3. 11, cyneg. 13. 2. Hipp. 1. 24. Arr. tact. 37. 5.

Locutio φέρειν καὶ ἄγειν occurrit apud Herod. 1. 88, 1. 166, 3. 39, 6. 42, 9. 31. Xen. anab. 2. 6. 5, hell. 3. 2. 2, 2. 28. Arr. anab. 1 5. 3, 7. 9. 3.

Substantivum ἀσπίς metonymice adhibetur pro ἀσπιδοφόροι ab Herodoto 5. 30. Thuc. 4. 93. 4, 7. 79 1. Xen. anab. 1. 7. 10. hell 2. 4. 11, 6. 4. 12, 5. 19. Arr. anab. 1. 5. 12 ἐπὶ τεσσάρων ἀσπίδων.

Usum praepositionis περί cum dativo copulatae et ad locum pertinentis scriptores classici in universum fugere solent. Habet autem hanc structuram Herodotus 1. 171, 7. 61. Thucydides 7. 84. 3. Xenophon anab.

1. 5. 8, 7. 44, cyrop. 1. 2. 13, 8. 3. 13. Arrianus anab. 1. 22. 6, 27. 1, 6. 28. 2 etc. Ind. 16. 11.

Formae in *αται* et *ατο* desinentes dialecti ionicae maxime sunt propriae; itaque non mirum est, quod Herodotus permulta exempla praebet[1]). Thucydides et Xenophon eas tantum in verbo *τάσσειν* (3. 13. 3 *τετάχαται*, 4. 31. 2 *διετετάχατο*, 5. 6. 5 *ἐτετάχατο*) (*ἀντιτετάχαται* Xen. anab. 4. 8. 5) admiserunt. Arrianus tantum in plusquamperfecto huius verbi hanc formam usurpavit (*ἐτετάχατο* 3, 11, 3. *προετετάχατο* 3, 11. 6), ceteras vitavit.

---

[1]) Luculenter de harum formarum usu Herodoteo disputavit C. Abicht Philol. XI. pag. 275 usque ad 282.